35.

marchiones proprietatis eius divisio fieret, ius proprie proprietatis prefate possessionis in partem Dedonis cessit et postea ad filios ipsius Conradum Orientalem marchionem Lusacie et Theodericum comitem palatinum de Sommirschenborg. Tempore vero procedente Walterus prepositus Montis Sereni possessionem memoratam a Theoderico Merseburgensi episcopo, ius autem proprietatis a marchione et comite fratribus pro LX marcis comparavit, XXX marcas singulis ipsorum deputatis, quorum tamen uterque X marcas sue partis remisit, ut duo mansi possessionis eiusdem pro patre et matre ipsorum ascriberentur, quia singuli mansorum illorum X marcis constabat. Conradus reliquas XX marcas expost propter Deum remisit, quod Theodericus non fecit.

Hinricus comes senior de Wittin, filius Conradi marchionis, quartus frater Ottonis marchionis Missnensis, duxit uxorem Sophiam filiam cuiusdam nobilis viri de Austria, genuit ex ea Hinricum comitem, qui in iuventute mortuus fuerat. Item genuit secundum filium Conradum, qui puer obiit anno Domini M°C°LXXXVII° V° Idus Ianuarii in castro Gebichensteyn, sepultus in sinistro patris sui in Sereno Monte. Oblata fuit villa Ternitz iuxta villam Nümick cum VIII mansis, quas postea Otto comes de Brene pro villa Clesitz propria equivalentibus commutavit. Habuit preterea tercium filium Olricum et filiam Sophiam, que nupsit Burchardo Magdeburgensi burgravio. Olricus filius eius, comes de Wittin duxit filiam Bernhardi ducis Saxonie Hedwigis nomine. Ex qua genuit filium Hinricum, quem reliquit

+f. CCLXIII^a
LX

Hinricus

missn Missn

Gebichensteyn LXXXVII° V° id'
pro eo recenti manu in marg. suppl.
a) deest c.; add. man. rec. in marg.

nümick

cz. 2 c: T.

reli / q (quid)

+f. CCLXIII^b.